angeli monstrabantur; Non aliud sine dubio descensus
ille et ascensus a nobis intellegitur nisi exaltatione
descendere et humilitate ascendere; Scala uero
ipsa erecta nostra est uita in saeculo: que humiliato corde
a domino erigatur ad caelum; Latera enim eius scale
nostrum dicimus corpus esse et animam; In qua latera
diuersus gradus humilitatis uel disciplinae euocatio
diuina ascendendos inseruit; DE PRIMO GRADU;

PRimus itaque humilitatis gradus est si timorem dei
sibi ante oculos semper ponens. obliuionem omnino
fugiens et semper sit memor omnia que precepit deus. qualiter
et contempnentes deum in gehennam de peccatis incidunt. et uitam
aeternam que timentibus deum preparata est. animo suo semper reuol
uat. et custodiat se omni hora a peccatis et uitiis. id est
cogitationum. lingue. oculorum. manuum. pedum uel uolun
tatis proprie. sed et desideria carnis amputare festinet.
Estimet se homo de caelis a domino semper respici omni ora et facta
sua omni loco ab aspectu diuinitatis uideri et ab angelis
omni hora renuntiari; Demonstrat nobis hoc propheta.
cum in cogitationibus nostris deum semper presentem ostenden
do dicens: Scrutans corda et renes deus.